

1061

P A T R I S T I C I

1062

cat, *Hagiologio* totus *Johannis* five sub Proconsule *Ephesi*, five sub *Domitiano Romae* *Αγων*, quem non solum *Codex* noster, sed etiam *Bonin. Mombritus* in impressis sub *Typographiae* initia *Mediolani* SS. Vitis exhibet.

CCCCXLV.

R. 4. Codex membranaceus lat. Sec. XI. Folior. 115. ejusdem cum praecedente, cujus Pars II. est, rationis *Lectionarium* a *Dominica Paschatis* ad *Dominicam XXIV.* post *Pentec.* complet. Hic quoque ad *imam oram fol. 1.* legitur: *Liber iste est Congregationis Casinensis alias Sanctae Justine de padua deputatus in Monasterio Sancti Severini et Soc. de neapoli. Sign. num. 92.* Titulus miniatus est: *In Die Sanctum pasche. Lectio Sancti Evangelii Secundum Marcum. In illo tempore Maria magdalene et maria iacobi &c. Homelia Beati Gregorii pape. Multis Vobis Lectionibus Fratres karissimi per datum loqui consueui &c.* Habetur *Homiliarum* L. II. *Hom. 21.* edit. *Maur. T. I. Paris. 1705. col. 1526. f.* Atque Parte hac *Homiliae* ferme omnes e *Gregorio* et *Beda* depromuntur. *Libri Scripturae*, e quibus legitur, sunt: *Apocalypsis, Actus Apost. Libri Regum, Proverbia, Job, Tobias.* A *fol. 92.* character succedit *crasior, major.* Post *Dominicam XXIV.* adscripta est *Dominica de Sancta Trinitate*, cujus *Lectiones* maximam partem petitae sunt ex *Alcuini Opusculo de Fide S. Trini-*

tatis, eique adnexa *Confessione*, prout haec habentur edit. *Ratisb. T. I. P. III. p. 703. f. Fol. 112. p. 2.* sequuntur *Acta Martyrii S. Agathae* sub hac rubrica: *Non. Febr. Natale Sanctae Agathe Martiris. Eorum initium: Beatissime Agathe Martiris quae passa est in prouincia sicilie in urbe cathaniensium sub decio imperatore. ipso decio proconsule die nonarum februarum recitamus ystoriam. Quintianus consularis sicilie audiens &c.* Extant apud *Mombritionum* *supra-* *cit.* et inde apud *Bollandianos T. I. Febr. p. 615.* τὸ decio proconsule σφαλαμα est pro ter vel tertium Consule. Demum *fol. 114. p. 2. ἀνεπιγραφως* occurrit *Narratio* de *Cruce* a *Constantino M.* in coelo visa, et nato inde ejus studio *Crucem* *Servatoris* reperendi, in quem finem *Helenam* matrem *Hierosolymam* misisse dicitur *Cruce* tandem post varias cum *Judaeis* disceptationes potitam. *Figmentum* est *Graeculi* cujusdam *barbara* hic versione donatum, quae infit: *Anno ducentesimo tertio decimo regnante uenerabili dei cultore constantino in sexto anno regni eius gens multa barbarorum congregata est super danubium &c.* Legitur graece inter *Narrationes dubiae fidei* apud *Jac. Gretserum de Cruce Christi T. II. Ingolst. 1600. p. 540. 4.* hoc titulo et initio: *Ὅπτασια Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως περὶ τῆς Ἐυσεβείως τοῦ τιμίου Σταυροῦ. Ἐν ἑταί ἑβδομῶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου βασιλέως, μὴν Ἰαννουαρίῳ συνήχθησαν πληθὺς βαρβάρων ἐπὶ τὸν ποταμόν*

μον τον καλεσμενον Δανθειν &c. Ab-  
rumpitur in Codice in his verbis:  
*Nos talia nunquam audivimus, qua-  
lia a te (o Juda!) hodie audire po-  
tuimus. (Ἡμεῖς τοιαυτα οκ ημεσα-  
μεν, οια παρα σε νυν.)*

## CCCCXLVI.

U. 202 Codex chartaceus lat. Sec. XIV.  
exeuntis Folior. 264. 4. currente  
calamo exaratus, rubricisque di-  
stinctus *Homiliarium* et *Lectiona-  
rium* est, conscriptum olim, ut vi-  
detur, in usum cujusdam Coeno-  
bii O. S. *Benedicti*, ab Adventu  
pertingens usque ad Quadragesi-  
mam. Patres, quorum aut integros  
Sermones, aut Excerpta recepit,  
sunt: *Maximus*, *Leo*, *Augustinus*,  
et hi quidem plurimam facientes  
paginam, *Fulgentius*, *Isidorus*,  
*Severinus*, *Johannes Chrysf. Seda-  
tus*, *Faustus*, *Faustinus*, *Ambro-  
sius*. *Augustini* multa non esse ge-  
nuina et in Edit. *Maur. Adpendi-  
cibus* quaerenda facile quis secum  
statuet. Sed et ad reliquos ordine  
*Codicis*, qui Articulos ultra CXXX.  
complectitur, quaedam erunt ob-  
servanda. *Fol. 21.* habentur *Le-  
ctiones in Natali Domini ex Isaia*  
pro nocturno Officio. *Fol. 72.*  
Sermo *Isidoro* inscriptus et incipi-  
ens: *Oportet nos fratres karissimi*  
*gaudere et exultare* &c. recen-  
sensusque ostenta in Domini Nati-  
vitate *Romae* exhibita, spurius est.  
*Fol. 87. p. 2.* Sermo alter eidem  
tributus: *Johannes apostolus et e-  
wangelista filius Zebedei* &c. est  
C. 73. Libelli ejusdem *de Vita*  
*et Morte Sanctorum*, edit. *Breul.*

p. 541. *Fol. 88. De ecclesiastica*  
*Historia. Est Eusebii Pamph. L.*  
III. c. 23. Narratio nota de Juve-  
ne ab *Johanne Evang. adamato.*  
*Fol. 89. p. 2. In natali innocenci-  
um sermo sancti seuerini*, est Ser-  
mo ille incipiens: *Zelus quo ten-  
dat, quo profiliat liuor* &c. qui le-  
gitur inter Sermones *Petri Chry-  
sol. n. CLII.* et in *Alcuini Homi-  
liario*, referturque a quibusdam ad  
*Severianum Gabalorum Ep.* olim  
ex amico *Johannis Chrysof.* ae-  
mulum; ab aliis vero, quoniam  
graece non extat, ad latinum po-  
tius hominem, et memorat *Ducan-  
gius* ex *Biblioth. Sangermanensi*  
*Severini* cujusdam *Abbatis Sermo-  
nes* in hoc Festum. *Fol. 99. p. 2.*  
Sermonem *sancti sedatii de kal.*  
*Januarij* ita quidem etiam inscri-  
ptum testantur in perantiquo Co-  
dice *Floriacensi* Editores *Augusti-  
ni Mauriani*; dubitant autem, an  
non potius legendum sit *Cesarii.*  
Ab *Augustino* certe abjudicantes  
in T. V. *Adpend. col. 235.* loca-  
runt, interim non ignari extitisse  
*Sedatum* quendam *Biterrensem*  
Ep. uti et *Nemausensem*, quorum  
ille a. 589. Concilio *Toletano* et  
*Narbonensi*, hic vero a. 506. *A-  
gathensi* et a. 507. *Tolosano* in-  
terfuit. In ipso Sermone *Codex*  
noster non *Juvenecam* aut *Anulas*,  
aut *Agniculam* sive *Anniculam*, sed  
*Anguiculam* legit, et finem versus  
omittit *quintam et sextam feriam.*  
*Fol. 104.* habentur *Lectiones ex*  
*Isaia In die sancto theophaniae.*  
*Fol. 111.* Sermo inscriptus *Ma-  
ximo* est *Leonis XXXIII.* et III.  
*de Epiphania. Fol. 115.* eodem  
modo